

tates? Libertatem carnis. Quid rex Angliæ Henricus? Pellices et primatum, templorumque expoliationem. Quid aliud jam sunt eorum regiones, nisi sepulcra concupiscentiæ? Non ita oremus nos, sed cum Zacharia: *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris*, Luc. I.

## CONCIO III.

QUO POTISSIMUM TEMPORE SIT ORANDUM.

I. Orandum in rebus dubiis. — II. In electionibus faciendis. — III. Quando iter agendum. — IV. Quando contrahendum matrimonium. — V. Quando res difficiles aggrediendæ. — VI. Ad alia etiam negotia.

## THEMA.

*In illo die in nomine meo petetis.* Joan. XVI.

Quærerere posset aliquis, quam ob causam dicat Dominus in hod. evang. *In illo die in nomine meo petetis*; siquidem ipse suis jam dudum præceperat, ut omni tempore orarent. Ita enim Luc. XVIII. dixit: *Oportet semper orare et non deficere*, et rursus. cap. XXIV. *Vigilate omni tempore orantes*. Ad quid ergo hic in futurum tempus ablegat suorum orationes? Justa est hæc quæstio, sed non difficilis resolutio. Verbum *vigilate*, quod oratione junxit Dominus, rem hanc explicabit. Nonne milites præsidii, qui stant in excubiis, jubentur vigilare constantiter omni tempore, etiam hoste procul absente? Ita sane. Attamen illis hoc speciatim mandatur, ut die et tempore, quo hostis propè est et imminet præsidio, maxime vigilent; quia major urget necessitas. Quamdiu Christi discipuli fuere cum magistro suo, in terris ambulante, non erant multum intenti fundendis orationibus, quia patrem ad manum habebant, qui omnes eorum necessitates per se noverat et depellere solebat. Verum quia paulo post orandi erant patre suo, cælos abituro, et tunc exponendi variis periculis, invadendi a persecutoribus velut agni a lupis, ideo eos monet, ut in illo die, in quo talia experturi erant, ad præcandum se conferrent, et ferventius quam alias orationi invigilarent. Quod apostolis dixit, idem et nobis dicit: *Omni tempore quantum per alia negotia fieri potest, orandum quidem est: verum sæpe incumbit major quædam necessitas, quæ constantiorem simul et ardentioram requirit orationem. Ea vero tempora aliqua hic indicabimus.*

I. Orandum in rebus dubiis, cum resolutio faciendæ aut alteri danda. Ita rex Josaphat

ignorans in re dubia, num resistere potentissimo exercitui, an tradere se deberet, quid egit: *Cumque ignoremus*, inquit, *quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros ad te dirigamus*, moxque totum contulit se ad rogandum Dominum, a quo accepit responsum: *Nolite timere neque paveatis hanc multitudinem, etc.* II. Par. XX. Idem ante ipsum observavit David, 1. Reg. XXIII. cum consuluit Dominum: *Num vadam et percuciam Philisthæos istos?* Nec prius ivit, quam audiret a Domino: *Vade et percute Philisthæos*. Neque minus necessaria est oratio iis, qui responsa aliis daturi sunt, quantacumque alioquin præditi sint sapientia; quod imprimis in more habuit Pambo abbas sapientia divina et prudentia insignis; quoties enim responsum vel consilium ab eo petebatur, nunquam illico respondit, sed spatium aliquod sumpsit prius rem Deo commendandi, qua industria effecit, ut, quemadmodum in articulo mortis confessus est, ullum auctum verbum protulerit, ejus ipsum penituisse, Pallad. in hist. Laus. Hunc imitatus noster p. Leon. Lessius, quoties de causa aliqua difficili consulebatur, vir omnium sententia doctissimus et piissimus, prius invocare solebat Spiritum s. præmittendo hymnum: *Veni creator Spiritus*, feste P. Corn. in c. XXXIII. Eccl.

Hoc vero qui neglexerant, graviter sæpe decepti fuere, uti contigit Josue, Hebræorum duci, alioquin et sapientia et rerum experientia clarissimo, quando impostoribus Gabaonitis facile nimis credulus pacem dedit, et gentiles homines in fœdus recepit, quia *os Domini non interrogavit*, precibus videlicet Dei voluntatem explorando, Jos. IX.

II. In electionibus faciendis et mittendis sortibus, quia in his omnino cæci sumus, in illis cæcutimus. Quem vero sapientiorum inveniemus ducem in his tenebris, quam Deum? Docuit hoc Christus, qui tamen omnia prævidebat, quando enim electurus erat duodecim apostolos, prius *pernoctavit in oratione Dei*, Luc. VI. non quod ipse egeret ea oratione vel directione, sed ut nos institueret plerumque ignorantes et cæcutientes, in re præsertim tali, e qua plurimorum salus pendet. Audiamus Theophylactum, in eum locum: *Post orationem elegit Christus discipulos, ut doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut revelet quis idoneus sit, etc.* Tales enim nisi Deus demonstrat, non est facile scire, ut observat D. Greg. in l. 1. Reg. XVI. ideoque Deum Samueli dixisse: *Unges quem nonstravero tibi*, eod. c. Hinc Ecclesiæ in quatuor temporibus, quibus ordinationes ministrorum Ecclesiæ fiunt, trinum in singulis jejunium præmittit, et

prolixiores in missa preces adhibet, quo idonei ministri a Deo impetrentur: Tridentina etiam Synodus, sess. XXIV. c. 1. statuit, ut quamprimum Ecclesia episcopalis vacaverit, supplicationes precesque publice et privatim fiant, indicanturque a capitulo, quibus bonus pastor obtineatur. Christi exemplum secutus est S. Petrus, quando electurus loco Judæ alterum apostolum, præmisit orationem, Act. 1. Nec minor cura adhibenda in secularium gubernatorum electione; quod imprimis docuit Samuel, quando electurus populo regem, convocavit eum in Maspha, sive quia ibi erat locus adorationis, ut habetur, 1. Macch. III. XLVI. sive quia *Maspha*, significat *sæcularizationem*, teste S. Gregorio, in eum locum ubi ait: *Bene igitur Samuel populum in Maspha convocavit, ut electio boni antistitis non sit humano judicio, sed divino; cum non talis eligitur, qualis hominum arbitrio decerni potest; sed qualis in sacro eloquio declaratur.* Unde recte in littera additur factam esse convocationem ad Dominum; scilicet ad audiendum et exequendum verbum Domini, ut explicat Cajetanus.

III. Quando iter agendum, periculosum præsertim et longinquum. Hoc imprimis discimus a Psalmista, qui Psal. LXVII. quasi iter aggressurus ita precatur: *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*. Deinde, a Tobia seniore, qui dimittens filium suum in Mediam cum comite Raphael, bene illis precatur: *Bene ambuletis, et Deus sit in itinere vestro, et angelus ejus comitetur vobiscum*, Tob. VI. et sane obtinuit, quod petiit, anticipata exauditione, angelum filio comitem. Denique, ab apostolo et primis Christianis Miletanis, quibus flexis genibus precabatur navim ingressurus, Act. XXIX. et rursus, Act. XXI. cum Tyriis, quando navigaturus, ad littus eis valedixit, ubi adhuc monstratur locus in arenis, in quibus ponentes genua orabant; ut refert ibi P. Corn. a Lap. quasi in documentum viatorum, ut iter aggressuri insisterent vestigiis primorum Christianorum, priusque se commendent Deo quam mari, aut alteri viæ periculis expositæ. Unde S. Greg. Nyssen. orat. 1. de orat. Dom. ait: *Ita viator, ita qui expeditionem vel nuptias parat, solum oratione qualibet agat, prospero ac felici successu negotiorum a peccando abducatur, nullo adversario inimico ad vitium trahente.* Et propterea Ecclesia itinerarium composuit recitandum imprimis clericis pergere euntibus; necnon et aliis pro occasione. Sedulo hoc observavit Synesius, in descript. Pentap. calam. *Cum, ut ad navem conscendam, quispiam rogabit*, inquit, *paulisper ut expectent, ab illo petam. Primum enim ad Dei templum accedam, altare circumibo,*

*pretiosissimum pavementum lacrymis perfundam, non prius discedam, quam januam illam thronumque illum osculatus fuero.* Quinimo solent etiam nautæ, quantumvis alioquin barbari et irreligiosi navigationes suas diutius duraturas aut periculosas a precibus ex certis cæremoniis ter effuso vino inchoare. Profuit hoc pium exercitium Sophiæ, Theodorici Hollandiæ comitis uxori, quæ cum ad limina S. Jacobi ad Galicia peregrinata, latrones in via obvios sibi haberet, oratione sese munit, ejusque vigore latrones ita constrinxit ac ligavit, ut de loco se non movere, nedum manus ei inferre possent. Quare illi stupore correpti, veniam postulant et supplices fiunt, qui prædones advenerant; quam ubi obtinuerunt, in fugam se proripuerunt, auct. Joann. Trithemonio, in chron. Hirsaug.

IV. Quando contrahendum matrimonium; quod cum sit indissolubile, magna et matura consideratione Deique auxilio opus habet. Cujus rei exemplar se exhibuit Isaac, quando eo tempore, quo expectabat sponsam sibi adducendam, exivit *ad meditandum in agrum*, Gen. XXIV. seu ut vertit Chaldæus, *ad orandum*, causam exponit Silvester a Petra sancta metaphora XLVIII. *Verisimile est*, inquit, *preces ejus ad Deum tum fudisse ut matrimonio (quod procurari interea temporis non ignorabat) esset beate, esset feliciter, et ut cederet ad virtutem sibi et promissæ: nec aliter deinde fuit.* Id exemplar Isaac aliis item sponsis proponit, S. Chrysost. in eum locum, hom. XLVIII. *«Hunc æmulentur viri, inquit, si sponsas ducere curent. Quare enim, dic ore, statim ab initio sordibus impleri sinunt puellæ aures tam turpidus cantilenis, tam intempestiva illa pompa? Nescis quomodo adolescentia per se in malum propensa? Cur honesta nuptiarum mysteria invulgas? Oportebat omnia hæc depellere et verecundiam principio ducere puellam, et sacerdotes vocare, et precibus et benedictionibus concordiam conjugis constringere, etc.»* Isaaco ad hoc pium exercitium prævit mysterio pater Abraham, qui defuncta Sara Cethuram duxit in uxorem: *Cethura enim thurificata exponitur: et quid thus nisi orationis typus? Decet igitur sponsas prius thure orationis sanctificari a sponso et vicissim, ut felix et faustum sequatur matrimonium; id quod juniori Tobie suasit Raphael: Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum per tres dies continens esto, et nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea.* Tob. VI.

V. Quando ad mensam cibus sumendus; quod adeo rationi consentaneum est, ut etiam infideles et barbari id agendum sibi rati sint. Turcæ imprimis, qui prælongas orationes suis præmittunt cœnis, variis cum gesticulationibus et

ritibus. Calecutiensium rex non prius considet ad mensam, quam quaterni sacrificuli precibus fucis cibos sacrarint suo idolo, teste Ludovico Romano. De Hebræis res clara est, et probatur exemplo Samuelis, 1. Reg. IX. ut alibi id ostendimus. De Christianis antiquis fatetur idem Sanct. Chrysostomus, LXXIX. hom. ad pop. «Opus est, inquit, nos et mensam petentes et desistentes Deo gratias agere: mensa namque ab oratione sumens initium, et in orationem desinens nunquam deficiet, sed fonte largius omnia nobis afferet bona.» Idem, homil. LII. ad populum formulam beneficentiæ mensæ hanc recenset: «Benedictus, Deus, qui pascis me a juventute mea, qui das escam omni carni, imple gaudio et lætitia corda nostra, ut omnem sufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor et imperium cum. S. Spiritu sæcula. Amen. Gloria tibi Domine, gloriæ tibi sancte, gloria tibi Rex, qui dedisti nobis cibos in lætiam, imple nos Spiritu s. ut inveniamur in conspectu tuo beneplacentes, non erubescerent, quando reddes unicuique secundum opera sua.» Senserunt denique nonnulli damno suo neglectum hujus benedictionis, uti monialis illa apud S. Greg. 1. 1. dial. c. IV. quæ in lactuca dæmonem devoravit, quia benedictionem precum non præmisit: religiosus, qui in vino eadem ex causa hospitem illum sorbuit apud Jacob de voragine, in vita S. Dominici: puella Coloniensis, quæ in muscæ effigie dæmonem deglutit dum in ira sine prævia oratione comedit, apud Joan. Nider. lib. V. form. cap. XI.

VI. Quando res difficiles aggrediendæ sunt, quæ nostras superare vires videntur. Ita monet Sanct. Gregor. Nyssenus, in lib. de orat. «Si oratio negotium præcesserit, peccatum adversus animum non inveniet aditum: Dei enim memoria in corde fixa atque fundata, irrita consilia adversarii manent.» Neque hoc solum, sed etiam salutarem sortientur exitum cœpta sic negotia; quod imprimis duæ illæ heroinæ, Judith et Esther ostendunt. Illa in castra Holofernis cum unica tamala transiit, ut caput auferret: quid hac re difficilius? Et tamen oratione mediante perfecit. Hæc vero Assuerum Judæis iratum, et omnibus terribilem, vi precum ad Deum fusarum mitigavit, et ex leone in ovem mutavit, ut decreto immutato faveret Judæis, et iram converteret in eorum hostes. Hinc etiam ss. martyres ad tormenta sustinenda et difficilia sua certamina per orationem se armarunt, quod qui non fecerunt, sæpe succubuerent uti testatur S. Cyprianus, tr. de duplici martyrio. «Novi ego inquit, ac flevi quosdam magni animi fortitu-

dine præditos, qui jam coronæ proximi defecerunt, et quem diu professi fuerant, abnegarunt. Quod fuit in causa? Dimoverant oculos suos ab eo, qui solus robur dat infirmis: intermiserant orationem, ac ceperunt ad humana præsidia respicere.» Dictum his videtur, quod Isa. XXX. legimus: *Væ filii desertores ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum.*

VII. Quando etiam alia quæcumque actitanda, ut non aberremus et Deum offendamus. Ita monet S. Augustin. 1. de salut. docum. cap. XXVIII. *Ad omne opus, inquit, quodcumque inchoaveris facere, primum invoca Deum et gratias ei age et cum consummaveris, illud similiter fac.* Quinetiam Cambyses Persarum regem filio suo Cyro tale præceptum dedisse refert Xenophon, in Cyropæd. «Nihil in publicis vel privatis rebus agas, nisi sacris peractis deorumque voluntatibus per auguria conspectis et cognitis, quid agendum et quid non agendum, explores; humanum enim genus erroribus plenum est, etc.» More hie gentili; recte tamen innuit Deum actionum nostrarum moderatorem necessario invocandum, nisi decipi velimus. Atque hinc est, quod partim a Domino jubemur *semper orare, et non deficere*, Luc. XVIII. et XXI, partim ab apostolo: *Sine intermissione orare*, 1. Thess. V. qua ubique scopuli in hoc mundi mari, nulla securitas est. Unde D. Chrysost. in Psal. CXXIX. «Opus est ventis a puppi, inquit, ut diæ spatium absque naufragiis transigamus. Multi namque per dies singulos scopuli occurrunt, et frequenter illiditur scapha atque submergitur; atque propterea nobis opus oratione, matutina præsertim. Nec minus necessaria est oratio vespertina, priusquam cubitum eamus; cum non minime etiam dormientibus immineant pericula. Hujus rei documentum habemus in jugi sacrificio, quo diebus singulis agni duo, unus mane, alter vespere immolari debebant ex lege veteri, Exod. XXIX. rursum thymiama adoleri mane semel, et vespere semel, Exod. L. Denique, sicut Moyses duo specialia tempora precibus sacrabat: unum, quando arca ad profectionem mane elevabatur, tunc nimirum orabat: *Surge Domine et dissipentur inimici*: rursum quando vespere deponebatur, dicebat: *Revertere Domine ad multitudinem exercitus tui*, Num. X. ita Christianus cum mane surgit, oret Deum, ut tartareos dissipet hostes, ne ipsi nocere possint, cum vero ad lectum revertitur, roget Deum ut revertatur ad se tuendum nocturno tempore. David hinc Dei, precatione non contentus, tertiam addidit, meridianam, Psal. LIV. *Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo, et exaudiet vocem meam.* Idem imitatus Daniel, tribus temporibus in die flectebat

genua et adorabat, Dan. VI. Nimirum hie indicabant, quantum fieri potest, omni tempore orandum esse, quia semper inter hostes versamur et laqueos. Hinc Chrysost. 1. 4. de orando Deo comparat orationem nervo: «Si quis dicat, inquit, annuæ nervos esse deprecationem, mea quidem sententia verum dixerit. Quemadmodum enim corpus nervis cohæret, vivit, currit, stat, et compactum est adeo, ut si nervos incidideris, universam corporis harmoniam dissolveris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant et compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Quod si teipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aquis extraveris. Ut enim pisci vita est aqua, vita tibi deprecatio: per hanc datur vnt ex aquis subvolare cœlumque transcendere ac proximum fieri.» Scimus Jacobum patriarcham, ubi nervum pedis ejus angelus incidit, mox claudicare incepisse, indeque permotos Hebræos non manducasse in posterum nervum ullum, Gen. XXXII. Nil aliud continget nobis, ubi nervus orationis nostræ fuerit incisus, claudicabit vita nostra, quia secundum corpus quidem ambulabit, sed non secundum animam. Servemus ergo nervum istum, neque etiam permittamus extrahi nos ab aqua quotidianæ precationis, ne tabescamus et moriamur.

## CONCIO IV.

## ORATIONIS POTENTIA.

I. Est clavis omnia aperiens. — II. Est armatura et murus. — III. Est scutum et clypeus. — IV. Est pons et paries ad superandas tribulationes. — V. Est musica, psalmus et cithara. — VI. Est thus et thymiama. — VII. Est thesaurus et divitiæ.

## THEMA.

*Exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem.* Joan. XVI.

Rem miram, auditores! Eadem illam viam, quam decurrit Salvator noster veniendo in hunc mundum, percurrit etiam oratio nostra, fusa ad Deum, solis terminis inversis. Exiit is a Patre et venit in hunc mundum, hinc iterum discessit et rediit ad Patrem, sed cum ingenti lucro; qui enim solus, pauper et nudus venit in mundum, natus in stabulo, cum ingenti multitudine ss. patrum, e limbo ereptorum, et ss. angelorum, ad Patrem reversus est, ut cum Jacob dicere posset: *In baculo meo transivi Jordanem istum, et nunc cum duabus turmis regredior*, Gen. XXXII. Exit nostra oratio a nobis in terra positis, et vadit in cœlum ad Deum, Patrem nostrum: inde iterum ad nos revertitur in terram: sed quæ

nuda, paupercula et inanis ascendit a nobis, revertitur ad nos cum ingenti lucro, et quidem duplici: cum merito boni operis, et cum dono postulato, vel certe equivalente aut meliore alio. Hinc a Dionysio Areopagita, lib. de divin. nom. c. III. comparatur oratio funi seu catenæ de cœlo ad nos demissæ, per quam orantes ad Deum ascendunt, et iterum descendunt: a Deo attrahuntur, et Deum ad se trahunt. Quam potens sit nobis hæc catena, nunc investigabimus.

Potentiam orationis variis metaphoris describere patres et doctores.

I. Aliqui appellant eam clavem, ad quævis aperienda idoneam; uti S. Augustin. de exhort. ad comitem, c. XXVIII. *Est, inquit, oratio clavis cœli: ascendit precatto, et descendit Dei miseratio.* Certe oratio Eliæ, ut cœlum clausit ne daret pluviam annis tribus et medio: ita et aperuit, ut effunderet copiosam, III. Reg. XVII. et XVIII. Josue orando cœlo imperavit, et solem stare fecit, Jos. X. *Obediente Domino voci hominis*, inquit sacer textus; quasi oratio tam potens esset, ut imperaret ipsi Deo. Sed audiamus August. plurima alia exempla paucis complectentem, serm. XXII. ad fratres in eremo. «O quam grandis, inquit, est ipsius orationis causa! O quam grande mysterium! Ecce Moyses orabat in monte, et Josue Amalec devincebat. Per orationem Ezechias sanatur, et salutem animæ et corporis adipiscitur. Per orationem Saul efficitur Paulus et doctor gentium: Jeremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Job in sterquilinio triumphat: Susanna inter senes defenditur: paradysum de cruce latro invenit: Stephanus de torrente in cœlum suscipitur, et inter lapidantes pro Paulo exauditur.» Certe si aliquando timendum erat, ne Deus obseraret hominibus cœlum et aures suas, passionis tempore timendum erat: et tamen in ipsa cruce pendens oranti latroni aures simul suas et cœlum aperuit: neque solum quod is petiit, sed etiam plus dedit: præter sui memoriam, et regnum; quomodo in parabola prodigum filium pater non solum recepit, quod rogabatur, in mercenarium, sed etiam in filium. Neque cœli dumtaxat, sed et alias quascumque seras reservavit sæpe oratio. S. Eparchius abbas in civitate Burdegalensi ad carceris ostia fervidas preces fudit, custode adstante et exitum rei suspensa mente præstolante: peracta oratione, omnia carceris ostia aperta, pessuli rejecti et contracti, vinetique omnes egressi, impetu ad ecclesiam facto pergentes, populo acclamante, mortis periculum evaserunt, ut in ejus vita, 1. julii apud Lipel.

II. Alii appellant armaturam et murum contra hostes inexpugnabilem. Ita B. Petrus Damiani,

tract. ad Dominicum, c. VI. *Ad semper victricia arma orationis*, inquit, *pro studio recurre*. Sanct. (Chrysost. lib. II. de orando Deum : « *Quemadmodum civitas, quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium ; propterea quod prorsus absit id, quo fuerat hostium incursus arcendus, sic et animam non munitam precibus diabolus facile in suam redigit ditonem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum ad animam quidem precibus communitam non audet proprius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrat, magis vegetans animam, quam cibus vegetat corpora.* » Et, l. 4. eod. tract. « *Si dæmones non conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt, non aliter quam prædones ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quid si contingat aliquem esse nudum precatationis præsidio, hic avulsus deportatur a dæmonibus, et in calamitates variaque mala impellitur.* » Typum hujus potentia exhibit David, quando in nomine Domini, hoc est, prævia oratione occurrit Goliatho, et prostravit eum, uti observavit idem Chrysost. hom. III. de Davide et Saule, ubi subdit : *Quid miraris si vox justi et furem mitigat, et hostes dejicit, cum impios quoque spiritus expellat ?* Cornuta Moysis facies ita terruit filios Israel, ut appropinquare ei non auderent, Exod. XXXIV. Unde vero illi hæc cornua nisi ex oratione et consortio sermonis Dei ? Qui ergo orationem pro galea quodammodo sibi imposuerint, terrebunt et fugabunt non modo homines malos, sed et ipsos dæmones : sicut taurus suis cornibus in fugam pellit imbelles greges : eo spectat quod Ps. XLIII. dicitur : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

III. Alii appellant scutum et clypeum, ad repellendas dæmonis, mundi, carnis tentationes validissimum, uti Sapiens, Sapient. XVIII. vers. XXI. *Proferens servitutis suæ scutum, orationem.* Ita Sanctus Ambrosius, in orat. fun. de obitu Valentini : *Nonum, inquit, scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur :* et S. Hieron. in epist. ad St. Ivinam : *Semper in manibus tuis sit divina lectio, et tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur.* Scimus urbem Hai a Josue expugnatam, dum ipse manu levaret in sublime clypeum suum, Dei mandato, Josue VIII. quomodo etiam Moyses, dum elevaret orando manus suas, in fugam compulit Amalec, Exod. XVII. Quod ergo significabant elevate manus Moysis, hoc elevatus Josue clypeus, orationem scilicet in cælum emissam. Hoc clypeo se tutatus est contra omnes

suos inimicos David, toties ad psalmum et orationem fugiendi, quoties aliquo in periculo fuit. Unde S. Chrysost. lib. 4. de orando Deum : *David, inquit, multos ac sævos inimicos effugit precatationis ope, non aliis armis exercitum muniens, etc.* Eodem clypeo se suæque diaconum textit ac defendit Sanctus Gregorius Thaumaturgus, quando in monte orantes quæsi ad necem ab insidiatoribus visi quidem sed non agniti, et pro duabus arboribus habitati sunt, ut in vita. Contra hostes castitatis præclarum etiam scutum est et fuit quam plurimum. Ita enim testatur S. Gregorius Nyssenus, oratione 1. de orat. Dominica, ubi ait : *Oratio pudicitia præsidium atque tutamen est, oratio virginitatis sigillum est, matroni fides, viatoribus scutum.* Hoc suam pudicitiam defendere, Judith contra Holofernem, per ardentem orationem se Deo commendando : *Susanna contra duos senes per suspirium et exclamationem utique ad Deum, cum sciret homines, qui succurrerent, procul abesse.* Non minus præclare S. Chrysanthus adolescens cum ob susceptum baptismum ab irato patre gentili, Polemio, in carcerem detrusus primum, postea pejore consilio, ad delicias eductus inter puellarum speciosarum lusur, et lascivias, ut ab illis perverteretur, constitutus esset, orationis scuto arrepto, prælongam et ardentem deprompsit ad Deum orationem, in qua ad finem hæc : « *Nunc ego te Domine supplex oro, ut mihi adversus istas feras opituleris ; ut quemadmodum serpentes dormiunt ad vocem incantantium, sic ipsæ me precante dormiant, ne mihi libidinis bellum inferre queant.* Quoniam agnosco te verum Deum qui homines in te credentes defendis, et invictam illis virtutem elargiris. » Hæc ille cum dixisset, tam ingenti virgines somno sunt oppressæ, ut nisi ex triclinio exportarentur, excitari non possent. Foris igitur ceperunt cibum. Verum cum in locum, ubi erat Chrysanthus, revertissent, gravis eas rursum somnus complexus est. Ita Verinus et Armenius, Stephani papæ presbyteri, teste Baronio, apud Surium, 25. oct. Quantum denique valeat hoc scutum contra dæmonum jacula, jam dictum et luce clarius est.

IV. Alii pontem et parietem ad superandas tribulationes efficacem uti Climacus, gradu XXVIII. *Oratio tentationum pons, inquit, tribulationum paries interpositus.* Tentationes et tribulationes sunt velut aquarum fluentia, quæ demergunt aut certe abripiunt, et in angustias redigunt hominem ; sed ut pontis beneficio superantur absque periculo quæcumque tandem flumina, ita et tribulationes orationis adjutorio. Pontem transeunti apparent quidem rapidæ aquæ, et terroris aliquid eminens incutiunt, nocere tamen

nequeunt : idem accidit oranti : turbatur ex aspectu instantis tribulationis, sed si instanter oret, non perturbatur, modo non in aquas, sed ad semitam et pontem, hoc est, non ad imbecillitatem propriam, sed ad Dei adjutorium oculos convertat, non suis viribus temere præfidens, sed in Dei robore confidens. Ad hunc pontem confugit Jacob, quando fratris iram fugiens transiit per Jordanem in Mesopotamiam, ubi in via altare erexit et ad id oravit. Genes. XXIX. ideoque asylum reperit apud Laban : rursum inde regressus cum iterum Jordanem transiret et metueret sibi ab occurso et ira fratris, ad orationem veluti ad pontem se recepit cum dixit : *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo :* statim ab angelo luctatore confortatus est, ut non timeret amplius, Genesis XXXII. Atque hinc Psalmo CXLV. dictum est : *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus : spes ejus in Domino Deo ipsius.* Cur Deus Jacob, et non Abraham aut Isaac hic appellatur ? Quia scilicet Jacob in summa paupertate et angustia per orationem speciali ratione Deum adjutorem sensit ; ut et alii in tribulatione confugiant ad pontem orationis. Huc confugit Josaphat, quando venerunt ei nuntii dicentes : *Venit contra te multitudo magna ; Ammonitæ, Moabitæ et Syri videlicet.* Quid agat bonus Rex ? *Josaphat timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum : sed et omnes de uribus suis venerunt ad obsecrandum eum : et quid obtentum ? Cum cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos.* Nam hostes in semetipsos versi mutuis concidere vulneribus. Josaphat cum suis laboravit integro triduo in colligendis hostium spoliis, II. Paralipomenon XX. Similis hostium strages pecum beneficio obtepta describitur II. Paralipomenon XXIV. *Egressus est Zara Æthiops cum exercitu suo decies centena millia, et curribus trecentis.* Porro Asa (rex Juda) *perrexit obviam ei, et invocavit Dominum Deum, etc.* deinde : *Exterritus itaque Dominus Æthiopes coram Asa et Juda, fugeruntque Æthiopes, et persecutus est eos Asa.* Grandis quippe terror cunctos invaserat, II. Paralip. XIV. At serio quidem observandum est barbaris illis gentibus pro Hebræis immisum divinitus terrorem, ut sine prælio, sine armorum corporumque congressu, ac mutuo conflictu infinita illa Æthiopum multitudo repente perturbata et consternata, in effusam se converterit fugam. Videlicet ubi s. ille rex ad Deum suum confugiens illius opem supplex et illacrymans expecterit illis verbis : *Domine non est apud te illa distantia, utrum in paucis auxiliis, an in pluribus ; adjuva nos Domine Deus noster, in te equum et in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem ; Domine, Deus noster tu*

*es, non prævaleat contra te homo,* II. Paralip. XIV. Prius multitudinem et plures dicit, nunc vero hominem cum Dei virtutem implorat, antequam unus homo, quin et nullus homo est illa multitudo. Sed recentem audiamus huic simillimam orationis efficaciam quam refert pater Bened. Fernandus, in c. XXXV. Gen. sect. V. « *Memini, inquit hoc loco, quod plane miraculum huic persimile nostro hoc tempore in Guinea contigerit. Rex quidem Angolæ, (vastissimum est ex Æthiopum regni) ad pellendos e sua regione prorsusque delendos Lusitanos coegit exercitum, in quo, ultra decies centena millia hominum numerabantur. E nostris fere ducenti erant sclopetarii sub insigni vero, inter claros gentium duces memorando, Paulo Didaco, uterque jam cominus exercitus. Mors in promptu. Ergo pater Balthasar Barreira societatis Jesu, vir piissimus ac religiosissimus, quem ego multis annis et novi et colui, concione brevi habita, monet omnes, ut ad deprecandum Deum procurrant ; exclamat deinde, ruant Deo duce in hostem, quamdiu ille provolutus humi ante crucifixi Jesu imaginem pro omnibus supplicat. Ergo nostri facto impetu in densissimam illam Æthiopum colluviem primores quidem prosternunt ; nec alius deinde labor et opus. Terrore siquidem Dei consternantur barbari, tergaque vertentes, vel ipso tantum corporum congressu, alii alios perturbant, et proruunt, fœdaque et inaudita sæculis clade profundam quamdam et latam telluris voragine fugientes ita compleverunt, ut prolapsorum cadaveribus æquata jam planities, quemdam quasi pontem per corpora mortuorum vivis ad fugam præstiterit. Denique, incruenta parta victoria, receptuique canente duce, noster ille sacerdos ab humo se exultit, et in gratiarum actionem Christo Domino suos est cum ingenti gaudio cohortatus. Constant hæc omnia testimonio ducis ac militum, et per litteras ejusdem patris, a quo paulo post in Lusitania rem ipsam non semel vere contestatam audivimus.* »

V. Appellant eum alii musicam, harmoniam, psalmum et citharæ suavam sonitum, ex Sancto Paulo et Jacobo, qui psalmum et orationem fere conjungunt et pro eodem sumunt. Ille 1. Corinth. XIV. *Orabo spiritu, orabo et mente,* ait ; hic vero, cap. V. *Tristatur aliquis vestrum ? Oret : æquo animo est ? Psallat.* Hinc Ambrosius in id Psalmi XLII. *Confitebor tibi in cithara,* ait : « *Habet citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus : Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente, nisi citharam haberet, quæ plectro Spiritus sancti resultaret.* » Porro sicut cantus et musica recreat melancholicos, et serenat turbidas mentes,